



M. I V L. Philippus, occiso Gordiano iuniore, ab exercitu Imperator declaratus, ad Senatum scripsit de morte Gordiani (nempe graui eum morbo periisse) & de sua ipsius electione, postulans vt confirmaretur. Senatus, rem non planè intelligens, eum Imperatorem confirmat, anno mundi 4207. à Christo nato 245. fuit hic Arabs, humillimo ortus loco, patre nobiliss. latronum ductore. Misit heum primùm veneno sustulerat, Gordiani focerum, virum modestū ac frugi, cuius consilio Imperium augebatur: deinde Gordianum occidit. Huius tempore Scythæ descuerunt, contra quos Marinum misit, qui à militib. Imperator factus, ab eisdem occiditur: atq; iterum ab iis Decius Imperator creatur. Aduersus quem Philippus furens tendit, atq; à militibus occiditur Veronæ, medio capite supra ordines dentium præciso: filius annorum 12. Romæ necatur, qui à quinquennio nunquam risisse dicitur. Imperarunt annis 5. sunt qui hunc primum Imperatorem Christianum fuisse tradant, at perfidi mores obstant. Bap. Egn. Capi. in Gordiano iuniore.

DECIVS missus à Philippo ad comprimēdos motus Mœsias, vt primùm prouinciam attigit, Imperator omnium consensu dicitur anno mundi 4212. à Christo nato 250. Hic ciuiles in Gallia motus sedauit, prius quàm ad urbem rediret. Aduersus Scythas ad liberandas Thracias cum filio profectus, vnâ cum filio perit, & loco, & fato aduersantibus, equo sedens, ne in manus hostium veniret, in paludem insiliit: nec cadauer vsquam inuentum est. imperauit annis duobus. vixit quinquaginta. inter optimos annumeraretur, si à cruciatibus Christianorum temperasset. Pompo. Lætus.